

potes, hic me adjuves. Urget editionem Mecœnatum meorum in Bavaria quidam, Hervvardus nomine, qui exemplar Græcum mihi commodavit, quod desinit in capite septimo libri secundi. Cætera in aliis literis. Vale, & quo loco sint res tuæ ad me perscribe. Ego per DEI gratiam sic satis commodè dego. D. Ammonium juniores saluto ejq; opto profectum in studiis & virtutibus. Lincii, D. 14. Febr. 1615.

*J. Kepplerus Matthiae Berneggero
S. P. D.*

PERGRATÆ mihi tuæ literæ fuere,
quibus significasti, redditas tibi
D. Ammonii literas cum mea sche-
da. Nam expostulavit mecum Am-
monius per literas, quod interim à
te epistolam recepisset, in qua nulla
erat illarum literarum mentio. Ita-
que liberasti me crimine negligen-
tiæ.
Titu-